Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26147
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Sed hoc non est intelligendum nisi de his qui in infidelitate sunt copulati. Sed si ad fidem uterque conversus est, vel si uterque fidelis matrimonio iunctus est, et postea alter eorum a fide discesserit et odio fidei coniugem reliquerit, dimissus discedentem non comitabitur; nec tamen illa vivente alteram ducere poterit, quia inter illos fuit ratum coniugium, quod non potest solvi. Quidam dicunt

cc.xvii. Sunt tamen nonnulli qui inter infideles coniugium non esse inter infideles asserunt non esse coniugium, quia nec rata nec legitima est eorum copula. Rata non est, quia solvi potest; nec legitima, quia apostolus dicit: Omne quod non est ex fide peccatum est. Eorum autem coniunctio non est ex fide, et ideo peccatum est. Non est ergo coniugium, quia nullum coniugium peccatum est. Augustinus etiam dicit quia non est vera pudicitia infidelis cum fideli.

Responsio. Sed vera negatur esse pudicitia, non quod infidelium coniugium non sit verum, sed quia non habet illud triplex bonum quod excusat coitum et meretur premium. Illud vero apostoli: Omne quod non est ex fide peccatum est, non ita intelligendum est ut quicquid fit ab infidelibus peccatum sit, sed omne quod fit contra naturam, id est conscientiam, male fit et ad gehennam edificat. Vel ideo in eo quod infidelis facit peccat, non quia illud facit, sed quia non eo modo illud facit quo debet, non referens ad debitum finem.

+ cc.xx. Quod legitimum sit coniugium infidelium sed non ratum.

Copula vero maritalis que est inter infideles coniugium est legitimum, sed non ratum; legitimum, quia est inter legitimas personas; sed non ratum, quia sine fide. Coniugium vero fidelium legitimum est et ratum, si tamen legitime sint persone. Quod autem legitima sit infidelium coniunctio, Augustinus testatur dicens:

In libro de fide et operibus.

Uxor legitima societate coniuncta, sine ulla culpa relinquitur, si cum viro christiano permanere noluerit. Ex hoc etiam probatur, quod infideli ad fidem converso apostolus consulit infidelem non dimittere. Quod non faceret si non esset inter eos legitimum coniugium. Legitimum est quod legali institutione vel provincie moribus non contra iussionem domini contrahitur.